

Joannis Keckerbast, Syndici Gedanensij. 4

D. E

REDUCTIONE MONETALI. Quæstio.

An illa sit idoneus monetæ Regni hujus
restituendæ modus.

*Destinata Regni Comitiiis
Anni 1625.*



[Gdańsk]

ANNO M. DC. XXVII.

E XXV 434 b. rzadki

2. wie. not. „Synopsis” na 2. w. (ostatniej)



De Reductione monetali,

QUÆSTIO.

An illa sit idoneus monetæ Regni hujus
restituendæ modus?

Destinata Regni Comitibus Anni 1625.



Uti de administranda Republica olim præcepta tradiderunt, frequenter solent adducere Medicinæ & Medicorum exempla, sine dubio propter analogiam ac similitudinem, quam homo, cujus corpus pro objecto sibi sumserunt Medici, cum Republica obtinet, adeo ut homo parva Respublica, & vicissim Respublica magnus homo non immerito dicatur. Unde & Plato *a* virum politicum censet medico esse comparandum, & Aristoteles non obscure in eo qui Reipublicæ præest, aliqua ex parte, medicinæ cognitionem requirit *b*. Cujus rei non ignarus quondam ille Mene- *b v. Plutarch. in*nius Agrippa, dissidium illud Romæ inter Senatum ac *Alexandro M.* plebem exortum, eleganti apologo, de membris in cor- *Ph. Melanch.* pore humano inter se dissidentibus, feliciter compo- *orat. de vita* suit *c*. Cum igitur ad sanandam ac restituendam in hoc *Aristot. tom. 2.* Regno monetam, remedii loco, quibusdam adhiberi *Declam. p. 377.*

a Leonh. Fuchs.
meth. medic. ca.
49. Io. Fien. in
epist. dedicat.
comment. de
flatib.
b Lev. Lemn.
lib. I. de com-
plex. c. 5. in fin.
Arist. lib. 5. eth.
c. 1. in princ.

mantium, de remediis morbi, nisi prius ipso morbo, ejus-
que naturâ & causâ cognitâ, certi aliquid definiri non
posse *a*; morbum verò haud posse intelligi, nisi prius na-
tura sani corporis cognita fuerit *b*: utrumque hoc fine,
ut causâ morbi, ipsoque morbo sublato, sanitas ægro re-
stituatur. Proinde in hac enodanda quæstione, majoris
lucis causa, duo nobis præmittenda, & explicanda esse
videntur: primum, quæ sit bonæ monetæ, tanquam sani
corporis natura: deinde verò, quæ sit depravatæ in Re-
gno monetæ causa, & morbose hujus corporis conditio:
quibus tandem subjiciemus quædam remediorum re-
quisita, ac simul, quæ sit reductionis propositæ qualitas,
ostendemus: ut ex iis cognosci possit, an Reductio resti-
tuendæ monetæ vim habeat, atque ita idoneus sit ejus in
hoc Regno restituendæ modus, & appropriatum huic
morbo monetali remedium.

Ad primum igitur quòd attinet, moneta quidem
(perinde ut crasis in corpore humano) monetæ præstat,
secundum omnes gradus comparisonis, ut alia sit bona,
alia melior, alia verò optima, quæ scilicet ex puro argen-
to vel auro conficitur. Ad hanc puritatem quo propius
accesserit, minusque alieni metalli admixtum habuerit,
vel melior, vel bona; denique & mala, pejor, pessima dici
poterit, quo nimirum longius à puritate recesserit. Sed
ad propositæ quæstionis discussionem sufficit, eam in pri-
mo gradu considerari, quo bona dicitur. Ut autem bona
vocatur à bonitate; sic bonitas in moneta duplex est, con-
stituens duas ejus partes essentielles: intrinseca videlicet,
& extrinseca. Intrinseca bonitas vocatur aliàs pondus;
extrinseca valor *c*, vocabulo satis noto. Est enim valor,
publica monetæ, per characterem impressum, designata
æsti-

c Car. Molina.
tract. commercior.
n. 696 Budel. de
monet. li. I. c. 7.

æstimatio, quam vulgò etiam indicaturam vocant. Ponderus autem, seu bonitas interna, teste Innocentio *a*, appellatur, ipsius argenti vel auri puri quantitas, quæ monetæ inest, sive respectu integræ cujuslibet marcæ, sive respectu particularum, in quas marca quælibet argenti vel auri distribuitur: quod Germani copulativè Schrotz und Korn *b*; præfecti Officinarum monetariorum vulgò pedem nuncupant: quod ejus intuitu Magistri monetarii, quasi ex præscripto, ut Budelius ait *c*; monetas suas cudere, nec latum unguem ab eo discedere debeant.

a In apparatu
sup quinq; libb.
Decretal. ad c.
quanto. De jure-
jur.

b Budel. d. c. 7.

c lib. I De mo-
net. c. 18 nu. I.

Porro bonæ monetæ hæc est conditio & natura, ut partes ejus essentielles, pondus nimirum & valor, juxta legem cujusque reipub. debita proportionem, & sibi mutuo, & argento infecto respondeant. Cum enim moneta inventa sit propter commercia & contractus *d*, ad conservandam civilem inter homines societatem; contractus autem dirigantur ex regulis justitiæ commutativæ, juxta proportionem Arithmeticam *e*; ut scilicet unicuique contrahentium, pro re vel opera sua, quam alteri communicat, justum pretium obtingat; utique monetam oportet esse justam, per quam scilicet in commerciorum usu æquivalens quiddam, hoc est, æquè tantum revera retribuat accipienti, quantum ab altero contrahentium datur. Hoc ut fiat, necesse est ut pondus argenti & auri, quod numo cuilibet inest, valori ejus exactè respondeat *f*: ita ut tantum argenti & auri verè sit in ipso numo, si redigatur in massam, quantum valor ei publicè impositus designat *g*. Nam pondus argenti & auri, quod monetæ inest, constituit monetæ materiam, sicut valor per characterem impressum designatus, rationem habet formæ *h*: constat autem materiam formæ semper oportere

d l. I in princ. D.
De contrah. emt.

e Arist. li. 5. Eth.
c. 4. & 5 & ib.
Giph. & Magir.

f Budæ. lib 5 de
ase in edit. Basil.
Episcopij, anno
1557 p 246.
g Accurs & Bald.
ind l 1. princ. D.

De contrah. emt.
Bart. in l. 1. c. De
vet. numis. por.
lib I I.

h d l. I. D De cō-
trah emt. Budel.
lib. I. de monet.

c. 16 nu. 2 & 3.

a Keckerm. li. 4. syst. phys. c. 1.
b Keckerm. li. 1. syst. Log. cap. 16. can. 2.
 tere esse analogam : quia omnis materia secunda relationem habet ad formam *a*, & necessariò determinata est, in certa quantitate, ad certam & unicam formam *b*. Quemadmodum igitur per naturam impossibile est, ut, (exempli gratia) materia muscæ recipiat formam elephantis; sic etiam rationi naturali consentaneum haud fuerit, si (verbi causa) materiæ grossi, hoc est, ponderi argenti quod simplici grosso inest, imponatur valor dutconis, id est, grossi triplicis. Et hæc sententia est omnium juris civilis interpretum, quos vulgò Legistas vocant *c*. A quibus tamen præfultore Innocentio, discefferunt Canonistæ, existimantes, pondus quidem argenti & auri, quod numo cuilibet inest, valori ejus exactè respondere debere, sed ita tamen, ut modicum aliquid detrahere liceat, quod impensis cudendi sufficiat, & honori Principum tribuatur, quod proinde voce Italica, cum Latina non suppeteret, signoragium appellarunt: quàm rectè, ipsi viderint: & fortasse alio loco demonstrabitur. Sed tamen hanc sententiam plerique amplexi sunt *d*, non quod per se juri sit consentanea, ut Molinæus scribit *e*, sed propter hominum miseriam, quâ prima illa melior sententia obtinere non possit: ideò, inquit, necesse est consistere in secunda, eamque æqui boni facere. Quam & in hoc Regno receptam fuisse, experientia testatur, ut scilicet tantum ponderi monetæ defalcetur, quantum impensæ & signoragium important, & his exceptis, valori pondus respondeat: cui tamen & obtentu remedii vulgò sic dicti, non nihil decedit.

Atque in his duabus monetæ partibus, prima & potissima ponderis est ratio, utpote ex quo valor dependet. Nam si moneta perpetuo conservetur in ponderis sui

sui bonitate, conservatur simul etiam monetæ valor :
 si autem pondus aliqua sui parte mutetur, vel ratione
 ipsius mixturæ metallicæ, seu ligæ, vel ratione numeri
 particularum, in quas marca quælibet spargitur ; valo-
 rem quoque monetæ mutari oportet *a*, ita quidem, ut *a* *Car. Molin. d.*
 diminuto pondere novæ monetæ, seu vernaculæ, seu pe- *tract. commerc.*
 regrinæ, in usum commerciorum admittæ, augeatur ita- *nu. 755.*
 tim ut homines id animadvertunt, valor monetæ antero-
 ris, nec frequentetur amplius in emtionibus ut pretium,
 sed incipiat rationem obtinere mercis. Quod manife-
 stam habet rationem, propter argentum scilicet, quod
 majori pondere anteriori monetæ inest. Unde conse-
 quenter Thaleri, & argenti infecti, ipsiusque Hungarici
 & auri pretium *b*; utpote quod semper, gentium consen- *b* *Alb. Brun. De*
 su ac consuetudine, certa proportionem argentum infe- *mon. augm &*
 quitur *c*; augeri oportet. Neque possibile est hoc ullis *dimin. partic.*
 edictis refrenari, ut accuratè Molinæus ostendit *d*. *17. nu. 2.*

Ex his igitur, quænam sit bona moneta perspicuum *c* *Bodin li. 6. De*
 est, ea nimirum, cujus partes essentielles, pondus scilicet *repub. c. 3.*
 & valor, seu bonitas intrinseca & extrinseca, juxta legem *d* *d. tract. com-*
 cujusq; Reipublicæ, debita proportionem, & sibi mutuo, *merc. nu. 797.*
 & argento infecto respondent. Qualem & inclytus Rex *post Buda. lib. 3.*
 Casimirus, qui primus, teste Cromero *e*, æs & argentum, *e* *5. de ase.*
 ad exemplum Bohemorum, signare coepit in hoc Regno, *p. 100 & 255.*
 probavit in celebri illo Statuto, quo ad similitudinem *e* *lib. 1. Polonia.*
 Principis, qui unus est, unam quoque in toto Regno mo-
 netam sanxit, quæ debeat esse perpetua & bona, in valore
 & pondere, ut cæteris, hoc est, tam subditis, quam exte-
 ris, qui in Regno commercia exercent, tanto sit gratior
 & acceptior *f*. Etsi autem tot annorum decursu, moneta *f* *Herburt Latin.*
 illa Calimuriana periit, adeo ut vix ulla ejus existent vesti- *verbo, Moneta.*
 gia; *S. ex quo.*

a *Cromer. d. li. I.*
d. p. 89.

b v. *Recess. con-*
vent. Statuum
Terrar. Pruss.
ejus anni.

gia; tamen ex valore aurei, quem Divus Sigismundus I. Hungarico parem, primus omnium in hoc Regno signavit *a* (unde & nomen Hungarici accepisse videtur) cum valore anteriorum temporum collato, colligi potest, monetæ Regni pondus à pristino statu inde ad tempora Divi Sigism. I. non mediocriter descivisse. Sub quo remedium incommodis rei numariæ allatum fuit anno 1528: quo anno moneta Terrarum Prussiæ ad Regni monetam conformata fuit *b*, ita quidem, ut deinceps utrobique grossi 96. in marca Cracoviensi sex lotones argenti puri in se continerent; solidi 154. lotones tres; oboli 540. sesquilotonem; trigrossi 74. itemque segrossi 37. lotones 14. aureus verò in marca Prutenica continente auri puri 23. caratias & 6. grana, particulas verò 54. æstimaretur 45. grossis; thalerus Imperialis, 14. lotonibus, & duabus tribusve quartis tum constans, 30. grossis.

Ab hac lege, proximi hujus seculi intervallo, in tantum paulatim deflexerat monetæ Regni pondus, ut dimidia plus parte esset debilius, quàm illo tempore fuerat; valori autem thaleri & Hungarici plus quàm duplum, incerto ac vago cursu accrevisset. Itaque ne malum hoc longius serperet, placuit Ordinibus Regni, in Comitibus sub finem anni 1620. habitis, per publicam Regni Constitutionem, certum Thaleris & Hungaricis definiri valorem; illis quidem 75. grossorum, his autem 4. florenorum Polonicalium, hoc fine, ut ad eum valorem moneta Regni, conveniente ponderis proportionem, cederetur. Quæ Constitutio anno 1623. reassumpta, iterumque omnium Ordinum consensu approbata fuit. Atque hic nunc est monetæ Regni status, hæc debilitati corporis hujus monetæ conditio.

Ad causam verò hujus debilitatis quòd attinet, exploratum est, eam inde originem traxisse, quòd pondus in moneta Regni usuali diminutum fuit, technis quorundam hominum, præsertim exterorum, ut artis monetalis periti affirmant, & exempla Imperii, de quibus edicta & decreta ejus fidem faciunt, attestantur: qui lucri sui causa, improbas ac varias monetarum species, diversis temporibus in hoc Regnum copiosè invexerunt: proque iis Thaleros Imperiales probæ notæ, etiam supra consuetam æstimationem conquisitos, simulque bonam Regni monetam grossorum simplicium, triplicium, sextuplicium, semigrossorum &c. exportarunt ac reformarunt, relicta in Regno improbâ illâ monetâ. Unde factum, ut & bona Regni moneta periret paulatim, & Thalerorum Imperialium, ipsiusque argenti infecti, atque adeo aureorum Hungaricalium pretium accresceret. Hac occasione Regni Officinæ, partim extraneæ monetæ extirpandæ studio, partim indigenæ prorsus defecturæ metu, partim denique lucri hujus monetalis, quod exteri intercepturi videbantur, præoccupandi spe, operas & ipsæ suas istorum exemplo urgere, seque conformare coeperunt, moribus ac institutis vicinorum, ab avita frugalitate ad peregrinorum intemperiem, ipsorum fraude, depulse. Cum enim novam monetam pondere anteriori parem cudere non possent, aucto nimirum jam, uti dictum, Thaleri & argenti pretio; pondus in ea diminuere, atque ita pedem monetalem mutare coactæ sunt. Quo facto, crescere ulterius Thaleri & argenti pretium omnino oportuisse, ex rationibus superius adductis patet. Atque ita ex diminuto subinde pondere, & aucto inde semper Thaleri & argenti pretio, tandem ad eam tenuitatem redacta est

Regni moneta, ut sub annum 1620. pondus dimidiâ plus parte esset debilius quàm fuerat, valori autem Thaleri plus quàm duplum accrevisset, ut paulo antè dictum. Unde constat, quòd pes monetæ, tam ponderis, quàm singularum petiarum respectu, graviter sit luxatus, & temperamentum monetæ corruptum, ipsa quæ adeò moneta debilitata: non secus atque in corpore humano, luxato pede homo debilitatur, ut rectè incedere amplius non possit; itemque diminuto sanguine per phlegmatis redundantiam, non modò temperamentum ejus mutatur atque corrumpitur, sed & corpus longè quàm antea sit debilius. Ac licet adhibitum remedium fuerit publica Regni Constitutione, de qua modò dictum, quâ Thaleri valor sesquiduorum, & Hungarico quatuor florenorum Polonicalium impositus fuit; quæ Constitutio corruptum illud temperamentum tale-quale in moneta probavit ac firmavit, & luxatione ista pedis monetæ quasi consolidatâ, eundem ad commerciorum usum, quantum potuit, adaptavit; quia tamen post hanc Constitutionem, valoris incrementum in Thaleri & Hungarico nondum prorsus subsedit, sed utriusque pretium ab assignatâ estimatione etiamnum exorbitat atque fluctuat; haud dubium id signum est, vitium adhuc aliquod in pede novæ monetæ latere, quo Thaleri & Hungarici constitutum sibi valorem in cursu observare prohibeantur. Quæ res occasionem videtur quibusdam præbuisse, cogitandi de novo ac solidiore aliquo remedio: quo non tantum hoc vitium tolli, sed simul universa res monetæ in hoc Regno pristinae sive restitui posset integritati.

Et quidem existimarunt, nullum convenientius remedium huic incommodo adhiberi posse, quàm si Thaleri

leri & Hungarici currens valor, uno actu reducatur ad eam, quæ ante 40. aut circiter annos fuit, æstimationem, & nova huic æstimationi conformis moneta statim cudatur, eodem argenti pondere, quo tum percussa fuit: simulque rerum pretia reducantur ad pristinam æstimationem, & justam cum nova moneta proportionem. Hac enim ratione statim nos habituros in Regno bonam ac fortem monetam, ac talem, qualis illo tempore fuit: & proinde Nobilitatem Polonam duplo plus auri & argenti, quàm hactenus, pro mercibus suis recepturam: puta, pro lastâ filiginis, centum florenis fortè venditâ, Hungaricos in specie 53. & grossos 32. Thaleros verò Imperiales 85. in specie, & grossos 25. æstimatione scilicet juxta pretium illius temporis, Hungarico grossis 56. Thalerò verò Imperiali grossis 35. cum presenti valore Hungarici 4. florenorum, & Thaleri 75. grossorum permanente, consecutura sit tantum 25. Hungaricos, Thaleros verò 40. in specie. Vicissim autem reductis rerum pretiis ad veterem æstimationem, & justam cum nova fortiore moneta proportionem, cessaturam simul rerum omnium caritatem: eò quòd quisque deinceps tantum emturus sit unico (verbi causa) Hungarico aut Thalerò, quantum annis ab hinc 40. aut circiter, emit, quantumque hoc tempore tot florenis, quot species istæ currenti valore expenduntur, comparaverit. Itaque emtoribus, Hungaricos & Thaleros expendituris, perinde futurum ajunt, siue Thalerum 35. siue 75. grossis expendant. & sic de Hungarico.

Sed ut Medici in curatione morborum, non temerè quid pro quo, ut dicitur, remedii loco adhibent, sed prius remediorum naturam & requisita diligenter expendere solent, numquid ægro conducant, sic & in curandis Rei-

publicæ malis videndum inprimis, numquid deceat, ac Reip. conferat, ipsique malo, cui medica debet adferri manus, sit accommodatum. Quod in hac etiam parte nobis incumbere videtur, ut remediorum conditiones & requisita quædam huc spectantia, ipsiusque reductionis propositæ qualitatem investigemus; unde liquere possit, an illa præsentī malo monetali conveniat, ac restituendæ monetæ Regni idoneum sit remedium: quod in explicanda quæstione proposita, tertio loco à nobis constitutum fuit inquirere. Sunt autem inter alia, quæ nobis hîc consideranda veniunt, bonorum remediorum hæc requisita: primum, ut sint naturæ consentanea: alterum, ut sint salutaria ac salubria: præterea, ut ne sint jure prohibita: denique ut ne repugnent experientiæ.

Inprimis in remediis requiritur, ut naturæ sint consentanea, non verò contraria: adeoque in omni officio Medici considerandum est, ut naturæ convenienter operetur *a*. Quod & Cicero in officiis vitæ civilis monet *b*, ut eam ineamus viam, quæ ducit ad convenientiam conservationemque naturæ: quam si sequemur ducem, inquit, nunquam aberrabimus. Compertum est autem, ut magnus quidam Medicinæ autor scribit *c*, subitas mutationes, & præcipites actiones, naturę invisas esse: paulatim opus aggreditur, & securitatem magis quàm celeritatem amat. De quo & Chymici, naturæ sagaces ministri & scrutatores, diligenter monent, in opere Chymico non festinandum, sed naturam imitandam esse, quę suum habet motum & tempus determinatum *d*, & facit suam operationem paulativè *e*. Quin & ipse Medicorum princeps Hippocrates *f*; plurimum, inquit, & repentè corpus movere, periculolum, omneque nimium naturæ inimicum;

a Leonh. Fuchs. meth. medic.

c. 41.

b lib. 1. Offic. S. Officium autem.

c Pet. Severin. in Idea Medic.

phil. c. 13.

d Geber. in lib. investigat. magist. Morien. de transmut. metall.

e Autor Rosar. phil.

f Aphor. § 2. sect. 2.

cum; quod verò paulatim fit, tutum. Et Galenus ^{a lib. 5. de tuend. sanit. c. 8. & lib. 6 c. 3. quem refert Leonh. Fuchs. meth. medicin. c. 24.} appo-
 sitè ad præsentem casum, docet, si quis temperamentum
 mutare, ac vertere in melius studet, sensim ac per otium
 id fieri citra noxam. Jam verò quid magis aut repenti-
 num, ac subitum, aut nimium, eoque naturæ minus con-
 sentaneum, sed contrarium, proinde periculosum magis
 dici potest, quàm si Thaleri & Hungarici in tantum au-
 ctus & currens valor, uno actu ad æstimationem tam
 exilem, hoc est, Thalerus à 75. grossis, ad grossos 35. &
 Hungaricus à florenis 4. ad 56. grossos dejiciatur: ut ex
 sequentibus clarius patebit, & analogia Medicæ artis
 ostendit. Si quis enim ex humano corpore, non dico
 morbo ac languente, sed etiam valentissimo, dimidium
 spiritus vitalis, ut ita dicam (quia spiritus per se non reci-
 pit divisionem) repente & uno actu educere conetur,
 quis non periculosum hoc esse judicet, ac cum vitæ dis-
 crimine conjunctum?

Alterum boni medicamenti requisitum est, ut sit
 salubre, hoc est, ut morbi causam, ipsumque morbum
 tollat, non verò augeat, proinde egrum sanitati restituat,
 non perdat ^{b Hippocr. aphor. 22. sect 2. & Franc. Vales. ibid. in commet. Galen. lib. 7. meth. meden. c. 12.} *b.* Diximus autem superius, causam hujus
 morbi monetalis fuisse lucri studium, & cudendi, seu, ut
 ita dicam, monetandi cacoëthes: quod ab exteris, me-
 diante adulterinâ monetâ, in vectum, operas Officina-
 rum Regni ad æmulationem provocavit. Quod certè
 hac reductione non minuetur, sed augebitur: utpote,
 quæ novam subministratura est quæstui materiam, ad
 eas angustias nunc propemodum redactæ, ut propter im-
 mensum argenti pretium, nimiamque monetæ Regni te-
 nuitatem, intendi amplius commodè non posse videat-
 ur; per hanc autem reductionem, novas vires, procul

omni dubio, sit acquisiturus. Cùm enim novam monetam, quæ cudi debet, pro more Officinarum monetarium, fundari oporteat in valore Thaleri Imperialis, & argenti infecti pretio; necesse est, ut tenuior ac deterior fiat ipso Thalerò: siquidem Magistri monetales in subducenda monetæ cudendæ ratione, primo loco ponunt argenti pretium, in eoq̃ue opus suum fundant; secundò computant signoragium; tertio impensas monetales, & alia, quæ impensis adjiciunt; postremo remedium, quod vocant; eaq̃ue omnia ponderi, seu intrinsecæ bonitati monetæ detrahunt. Itaque necesse est, ut moneta fiat ipso Thalerò, tanto deterior, quanto plus ei istarum rerum nomine decedit. Unde valorem Thaleri, & per consequens, ipsius argenti infecti pretium, post hanc ad 35. grossos reductionem, statim augeri, & pedem monetalem rursus, toties, quoties id continget, semper de novo debilitari, pro modo quæstus oportebit, ut suprâ est demonstratum. Neque cessabunt Campsores, & numularii segregatores ac resolutores numorum, à prioribus ac consuetis monetarum aucupiis, quin majore conatu, novam fortiorem monetam, ac ponderosiores ejus species, ipsosq̃ue Thaleros Imperiales, persequantur, & in Officinas monetales importent. Atq̃ue ita redibit labor actus in orbem. Moderna verò debiliior moneta, per hanc reductionem contemptui omnium exposita, inutilis reddetur commerciis; venditoribus semper novam fortiorem, aut Thaleros & Hungaricos expetituris, rejecturisque vilioris: ut in Germania nuper accidit, adeoque in hoc ipso Regno Ortonibus Silesiacis contigit. Unde ipsam tandem, cum incredibili omnium Regni incolarum intertrimento, usu commerciorum excidere, atq̃ue

ita prorsus annihilari, eoque angustia redigi necesse est, ut vel Regno emigrare, & exterorum Argyrocopiorum libidini sese dedere, vel genitrici suae jugulum præbere cogetur: quæ sobolem suam monetalem, numerato pro ea possessoribus quàm minimo fas erit pretio, in catinum adiget, ac paulatim universam extirpabit. Itaque hac reductione neque causa morbi, neque ipse morbus aufertur, eoque nec moneta Regni restituetur. Est enim restituere, ut Jurisconsulti docent *a*, in pristinum statum reponere, ac restitutuere, id est, in eum casum rem constituere, in quem fuisset, si nihil, adversus quod facienda esset restitutio, evenisset. Hoc enim verbum in jure etiam ad facta pertinet *b*, eamque vim habet, ut non solum opus factum restituendum, sed etiam omne damnum datum refarciendum sit *c*. Quod hac reductione non modò non fit, sed damnum etiam duplicatur, ac quod reliquum adhuc habet moneta vigoris, adimitur. Cum enim, ut suprà dictum, duæ sint monetæ partes essentialles, pondus & valor; hætenus plus dimidium ponderis intercidit; nunc per hanc reductionem plus quàm dimidium valoris perit, imò universa in Regno hætenus percussa moneta, ut paulo antè ostensum, internecioni traditur: ac pes monetæ, cujus luxatio per Regni Constitutionem, ceu quoddam emplastrum ac ligamen, consolidata ac firmata, callum quodammodò jam obduxit, non restituitur pristinae integritati, neque adedò ad memoratæ Constitutionis normam accommodatur, sed frangitur, & tanquam inutilis à corpore monetali refecatur & abjicitur: Quod cum altero boni medicaminis requisito, superiùs adducto, manifestè pugnat, ac cum celebri illo, tot seculorum memoria probato, Periandri Regis

ad

a Alciat. ad l. restituere. 7 §. D. De verb. sig.

b Alciat. ad d. l. restituere.

c Alciat. in l. cum Prator. 81. D. eod.

a Herodot. lib. 3. ad filium monito ; Ne malum medicaretur malo a. In quod sanctus quidem ille Rex olim impegit, qui post rap-
 tam alterius conjugem, ut erratum corrigeret & occul-
 b 2 Sam. 11. taret, curavit interfici maritum b. Cujusmodi remedia
 c Thucyd. lib. 5. sapientes omnium temporum improbarunt c: siquidem
 Plutarch. lib. An hoc modo mala duplicantur d: ut fieri solet in morbis,
 seni sit ger. Resp. quæ inepta curatione fiunt deteriores, juxta illud
 varior tom. 2. Poëtæ:
 circa fin.

d Ph. Melanch.
 Postill. Dom. 15.
 p. Trin.

*Curando fieri quedam pejora videmus
 Vulnera, quæ melius non tetigisse fuit.*

Similiter & hæc reductio duplicabit malum monetale,
 rei que publicæ & privatæ dolorem, cruciatum atque ca-
 lamitatem adferet intolerabilem, ipsoque morbo, de cu-
 jus curatione agitur, longe graviolem: tum propter in-
 gens & irreparabile damnum e, quod inde redundabit
 e Budel lib. 1. de in omnes, cujuscunque status, maximè verò pauperes, &
 monet. c. 16. in mediocri fortunæ homines, qui potissimam, ac penè
 nu. 12. omnem substantiam suam inde amittent, & in extremas
 f Molin. tract. tandem egestatis ac famis redigentur angustias f; tum
 commercior. propter magnam confusionem g ac fraudes in commer-
 num 793. ciis atque contractibus, contra regulam justitiæ com-
 g Budel. d. c. 16. mutativæ, de qua suprâ dictum. Unde porro jurgia, ri-
 nu. 8. xas, turbas ac lites infinitas oriri necesse est, ut historiæ
 h l. 2 § 8 & 9. & Jurisconsultorum scripta testantur: quas prudentes
 C Dejurejur. omniau temporum Legislatores summo studio præ ca-
 prop. cal. dan. vendas, imò & amputandas censuerunt h, ut in Repub.
 l. properandum. conservetur concordia.
 13. in princ. &
 § 2. l. apertissi-
 mi 16 C. De ju-
 dic. l. 3. C. De
 fruct. & lit. ex-
 pen.

Tertium quod à nobis propositum remedii requisi-
 tum hoc erat, ut ne sit jure prohibitum: quale est vene-
 num malum, quod non modò jure prohibitum est dare
 pro

pro medicamento *a*, sed etiam vendere : ita ut venenia *l. qua actione*
 nulla contrahatur emptio, nisi tale sit, quod adjectione *7 S. Celsus. D. ad*
 alterius materiae, usui nobis esse possit *b*. Jam verò jure *leg. aquil.*
 prohibitam hanc esse reductionem, tribus ex causis *b l. quod sapè.*
 manifestè satis constat. Primò, quòd cùm duplex in *35. S. veneni.*
 moneta bonitas sit, intrinseca, & extrinseca in valore *D. De contrab.*
 impositio consistens, ut suprà dictum; in utraque sibi *emt.*
 aliquid utique acquirit, qui monetam acquirit. Quod
 autem quis rectè & legitime acquisitum habet & pos-
 fidet, id ei invito, sine ipsius facto adimi jure non po-
 test, siue in totum, siue in parte *c*. Adimitur autem ei *c l. 2. D. De hi*
 per hanc reductionem, extrinsecæ bonitatis pars tanta, *qui sui vel al. jur.*
 quanta per reductionem valori currenti detrahitur; *sunt S. 2. Inst.*
 quod jura divina & humana prohibent. Deinde valor *eod l. solvendo.*
 publica legis autoritate impositus, & populi consensu *D. De negot gest.*
 receptus, est quædam testificatio veritatis & justitiæ *S juris. Inst. De*
 ipsius monetae *d*, ipsaque lex characterem impressum *just. & jur. l. id*
 approbans, & valorem ejus definiens, instar est sigilli, *quod nostrum. D.*
 quod chartæ seu diplomati apponitur, cujus fidem om- *D. reg. jur.*
 nes sequuntur *e*. Reprobato igitur valore, populi con- *d Molin. d. tract.*
 sensu recepto, publica que lege prius approbato, repro- *793.*
 batur & infringitur publicum quasi sigillum, in detri- *e Molin. d. nu.*
 mentum eorum, qui publicam fidem sequuti sunt *f*; *793.*
 quod nullo jure fieri potest. Postremò cùm numus *f Molin. d. nu.*
 omnia metiatur, & sit generalis omnium mensura, jure *793.*
 gentiam introducta, non solum quoad pondus, sed
 etiam quoad valorem; idèd reprobato valore, publica
 lege, populi que consensu prius approbato, mutatur ge-
 neralis omnium mensura: quod omnia jura tam divina
 quàm humana damnant: ut ex Thoma Aquinate re-
 fert & confirmat Molinæus *g*, & addit, non sine stoma- *g d. nu. 793.*

cho : Omnium fraudationum & cauponationum moneta, nulla tetrior & execrabilior est, quàm cum pecunia semel probata & expensa, in totum vel in parte reprobatur in cursu seu indicatura. Tunc enim non solum publica fides & mensura abruptitur, sed etiam furtum manifestum, non in unum aut alterum, sed in omnes committitur. Idque in Regno Franciæ perpetratum fuisse, & ipse deplorat, & Budæum id meritò, tanquam improbum καπηλειον, & sceleratissimum inventum, execrari a scribit: præsertim cum hac arte anno 1537. circiter decem millia pauperum, in Armorici & vicinis Regionibus, fame necata fuisse asserat. Quis neget igitur, venenatum hoc esse medicamentum, imò venenum longè pessimum, quod tot hominum millia absorbuerit? quis dubitet omni jure prohibitum, ac tale quod in usum admitti nullo pacto debeat?

Postremum idonei remedii requisitum nobis erat, ut non repugnet experientiæ: cujus in re medica, tanta est autoritas, ut ab ea Medicinam coepisse, historicorum antiquissimus testetur Herodotus *b*, & ipsi Medici non eant inficias *c*, eoque Medicorum nemo ei facile obloquatur. Testatur autem Budelius *d*, clarissimus Jurisconsultus, & monetarum olim in certis Germaniæ partibus præfectus, reductiones ab initio, & ante multa secula tentatas ac motas, nullo unquam tempore felicem optatumque exitum esse consequutas. Itaque etsi Ordines Imperii quoque de reductione non parùm sollicitos fuisse scribit; ipse tamen ad experientiam, quàm millies edocti fuerint, provocat, ac suadet, ut potius in currenti ac usitato valore, in quo diu multumq;

con-

*a lib. 5. de asse.
p. 255.*

*b lib. 1. Plutarch lib. De oculis vivendo.
var. tom 2.
c Leonh. Fuchs. meth. medic.
c. 4. in princ.
& fin.
d lib. 1. de monet. c. 16. nu. 12.*

constitit, conservetur ac toleretur pecunia, quàm ut ad
pestiferam reductionis venenum, uti vocat, recurratur;
præsertim cum ab eo tempore, quo pecunia in usu esse
coepit, semper ferè ejus valor extrinsecus creverit, ra-
rissimè verò deminutus sit *a.* Quod & in hujus Regni *d. c. 16. nu. 8.*
moneta observavit Cromerus *b.* Quantæ confusiones *b lib. 1. Polonia*
etiam, proximis hisce aliquot annis, in vicinis Germa-
niæ provinciis, inde extiterint, notius est, quàm ut lon-
giore explicatione egeat. Ex his igitur luce meridiana
clarius apparet, Reductionem propositam cum requi-
sitis bonorum remediorum è diametro pugnare; pro-
inde nec restituendæ monetæ facultatem, quam fronte
promittit, obtinere.

Sed objiciunt hîc nobis reductionis autores alteram consilii sui partem, de reducendis pariter rerum pretiis: quam non solum rerum omnium caritati, sed velut alexipharmacum, omnibus etiam venenatis qualitatibus, in isto reductionis monetalis remedio latentibus, opponunt: quas hac ratione innoxias, ipsamque proinde reductionem salutarem ac opportunam fore, aliis diversum sentientibus persuadere conantur: non secus ac venenum adjectione alterius materiæ mitigatur ac corrigitur, ut nocendi naturam deponat, & usui humano servire possit, eoque ex illicito fiat licitum: ut suprà in tertio remediorum requisito attigimus.

Quæ sanè objectio alicujus fortasse momenti foret, si pecuniæ, & rerum æstimationis par esset ratio; & caritas rerum à sola monetæ alteratione, per diminutionem ponderis, & intensiorem valoris ejus, proveniret. Sic enim videri posset, depresso valore Thaleri & Hungarici, auctoque statim pondere novæ monetæ.

haud difficile fore depressionem pretiorum in rebus omnibus, ac proinde caritati rerum hoc modo prospectum iri. Sed primum in his duobus maxima est dissimilitudo atque disparitas. Pecuniæ namque, ut Jurisconsulti docent, perpetua est æstimatio, & una

a l. i. in princ.

D. De contrab.

emt. l. fin. C. De

ret. numis. pot.

lib. 11.

b l. idem. 3. D.

De eo quod cert.

loc l. pretia. 63.

§. ult. D. Ad leg.

Falcid.

c d. l. i. in princ.

verb publica.

D. De contr.

emt.

d d. l. pretia. d.

§. ult. & d. l.

idem.

e l. annonam. 6.

D De extraord.

crim l. 2. D. De

leg. Jul. de an-

non. l. i. C. De

atque eadem ubique potestas a; rerum autem aliarum, & fructuum imprimis, æstimatio variabilis atque fluxa est: tum propter varietatem locorum ac temporum, tum propter proventus incertitudinem b.

Deinde pecuniæ pretium verum ac justum lege publica statui potest, atque aded debet c; pretium autem cujusque rei justum atque verum definiri à lege non potest, propter dictam locorum ac temporum varietatem, proventuumque incertitudinem d. Et idem in

annona, iisque quæ ad victum pertinent, in quibus pretia, maxime propter pauperes, ac tenuioris fortunæ homines, omninò constitui oportet e, certis locorum Magistratibus, eorumque annuæ curæ id committitur. Sicut olim jure civili, Romæ & Constantinopoli, Præfectis Urbis f; postmodum etiam jure tam Civili quàm

Canonico, Episcopis g, jure Feudali, ex Constitutione Friderici I. Imperatoris, Comitibus Provinciarum h; tandem etiam Civitatibus i; cui & jus Culmenſe ad-

sti-

non. l. i. C. De episc. aud. c. 1. Extr. De emt. & vend. And. Dinner. De justo rer. pret. defin. quest. 4.

f l. i. § cura carnis. D. De off. pref. urb. l. i. C. De frumen. urb. Constantinop. lib. 11. Dinner. De just. rer. pret. q. 3.

g d. l. i. De episc. aud. d. c. 1. De emt. & vend.

h li. 2. Feud. tit. 27. De pace tenend. & ejus violatorib. §. post natalem. 4. Dinner. d. q. 4.

i Bart. in l. nemo. 9. num. 2. C. De Jud. & calicol. Myns. cent. 5. obs. 26. quos & alios allegat. Dinn. d. q. 3. nu. 3.

stipulatur *a*. In reliquis autem rebus omnibus potestati contrahentium permittitur pretia rebus statuere: *a lib. 1. 6. 10.*
 qui vel ex communi hominum æstimatione, quâ scilicet res vendi atque comparari communiter solent, pretium inveniunt; quod proinde in jure pretium verum ac justum dicitur *b*; vel speciali licitatione definiunt; quod inde pretium conventum appellatur, eod *§ 2. §. si statuli. ber. 29. D. De*
 quod voluntate contrahentium statuitur *c*. In quo naturaliter, hoc est, jure gentium (propter emtionis & furt. l. 2. §. por-
 venditionis scilicet necessitatem atque utilitatem *d*) *tio D De leg.*
 concessum est contrahentibus, secircumvenire atque *Rhod de jact. l.*
 circumscribere, ita ut liceat, quod minoris est, pluris *filiusfam. 114.*
 vendere, & quod pluris est, minoris emere *e*, dummodo absit dolus *f*, nec dimidiam justii pretii partem excedat circumscriptio *g*. Quod pretium pro justo etiam *§. si quid alii. §. D De le-*
 habetur, & in dubio tale præsumitur, donec contrarium probetur *h*. Sin autem de eo lis aliqua oriatur *nat. l. si res 12.*
 inter eos qui contraxerunt, in arbitrium ludicis id refertur, qui pro ratione loci ac temporis, controversiam *§. 1. D. De jur.*
 dirimat *i*. Denique pecuniæ æstimatio universalis est, *dot.*
 omnes in universum res concernens atque afficiens, *c l. si voluntate.*
 tam parvas, quàm magnas, mobiles & immobiles, seu *§. C. De rescind.*
 domi natas, seu peregrè advectas, pretiosas & viles *vend.*
d Dinner. De
just. rer. pret. q. 1
§. recte igitur.

C 3

rerum

e l. in causa 16. §. idem Pomponius. 4 l. item si § ult. D. Loc cond.
f l. si dolo §. C. De rescind. vend. l. 3. in fin D. pro soc. l. tenetur. 6. §.
ult. D. De act. emt. & vend.
g l. 2. C. De rescind. vend.
h Roland à valle, cons 64. nu. 18. & seqq. vol. 4 quem refert Dinner.
De just. rer. pret. q. 2. in fin.
i l. 3. D. De eo quod cert. loc.

rerum autem pretia non quarumlibet jure constitui possunt aut debent, sed tantum annonæ, & earum quæ ad vitæ sustentationem necessariæ sunt, ut paulo antè dictum *a*:

a latè Dinner.

De just. rer. pret.

q. 4. § qui enim.

§ 2. seqq.

b Nic. Everb. in

top. legal Loco

simili nu. 3 & 7

§ 11. in fin

c Bart. in l. fin.

D. De calum-

niat. Everb Loco

à separatis.

pecuniæ, & aliarum rerum dissimilitudo atque disparitas; non potest sanè à reductione monetæ ad reductionem pretiorum in aliis rebus, tanquam à simili, argumentum duci *b*, sed potius, cum inter se disparatæ res sint, locum hîc habet, quod Juris-
simili nu. 3 & 7 consulti tradunt; Separatorum separatam esse rationem & jus. Et, Ex separatis non inferri de uno ad aliud *c*.

Jam verò etiam caritatis rerum non sola causa est alteratio monetæ, ut paulo antè dicere cœpimus; sed oritur illa etiam præterea ex penuria rerum necessariarum; itemque ex abundantia auri & argenti: utpote quo res omnes in quocunque loco æstimantur & appretiântur. De quo Plutarchus *d* & Plinius *e* fidem faciunt, asserentes, Paulum Æmili-
lium, subactò Macedoniæ Regno, tantum auri & argenti Romam attulisse, ut populus à solutione tributorum liberaretur, & pretia agrorum duabus tertiis statim augerentur. Quibus & Suetonius adstipulatur *f*, qui refert, Augustum Imperatorem, tantum divitiarum ex Ægypto apportasse, ut usuræ minuerentur, & pretia agrorum longè majora fierent quàm fuissent antè: non utique propter penuriam agrorum, qui neque crescunt, neque diminuuntur, sed propter auri & argenti abundantiam, quæ contemptum ejusdem ac vilitatem peperit, exorta est
caritas

d in Æmilio

Paulo.

e lib. 33. c. 3.

f in Octaviano

Augusto.

caritas rerum æstimatarum, ut Bodinus ostendit *a* in tract. De
 Qui similiter ex historia Indica refert *b*, in Peruana, *augm. & de-*
 post subactam illam provinciam, caligas panneas *crem. aur. &*
 trecentis ducatis emtas fuisse, chlamydem mille *arg. §. præcipua*
 ducatis, equum quatuor vel quinque millibus *causa.*
 mensuram seu pocale vini ducentis ducatis, pro- *b* in d. tract. §.
 pter summam scilicet auri & argenti in ista regione *incredibile.*
 abundantiam: unde plus quàm centum milliones
 auri, & bis tantundem argenti, aliquot haud mul-
 torum annorum spatio, in provincias Europæ alla-
 tum fuisse scribit. Penuria verò, eodem Bodino
 teste *c*, contingit vel propter nimiam rerum ave- *c* d. tract. de
 ctionem, vel propter impedimenta, rerum neces- *augm. & de-*
 sariarum importationi obstantia, ut sunt vectiga- *crem. aur. &*
 lium immodicæ & morosæ exactiones, vel denique *arg. §. tertia. &*
 propter nimiam absuntionem seu corruptionem ac *§. altera.*
 dissipationem rerum, quibus ad usum vitæ commu-
 nis indigemus.

Quid verò adversus hæc omnia præsidii nobis
 adferre poterit pretiorum tantoperè commendata
 reductio? Primum enim nulla reductio pretiorum
 lege aliqua universali fieri poterit, sed tantum spe-
 ciali ordinatione Magistratus cujusque loci; nec
 nisi in ijs rebus, quarum pretia constitui possunt,
 ut in annona publicè venali, & ijs quæ ad victum
 pertinent, uti supra demonstratum est: quæ sanè
 exigua rerum omnium, pecuniâ æstimatarum, est
 portio; ad reliquas non pertinet, nec in ijs vel ope-
 rari quicquam, vel cessare circumventio poterit,
 jure

jure gentium permiffa , dum fuis fe in jure defcriptis limitibus contineat , ut fuprà explicatum. Quantum igitur momenti tantillum hoc adferet , collatum ad univerfale detrimentum illud , damnumque ingens , quod ex reductione monetæ in univerfos & fingulos , cujuscunq̃ue ftatus & ordinis homines redundabit? Ne dicatur , quàm difficilis & perplexa vel iftorum pretiorum futura fit executio. Deinde in tollendis caritatis rerum caufis , & imprimis ad evitandam in hoc Regno rerum neceffariarum penuriam , quidnam , quæfo , contra rerum ex Regno avectionem efficere poterit hæc pretiorum reductio? fiquidem relinqui oportebit univerfæ Nobilitati liberam proventuum fuorum omnium , quantocunq̃ue pretio venditionem , ac confequenter etiam civibus memoratas merces emturis , ac vi privilegiorum fuorum , liberâ mercium gaudentibus evectione. Quæ tamen , unâ cum pretio , legem accipit non à Regni Constitutionibus , nec ab eumentium aut vendentium arbitrio , fed à fola exterarum Nationum indigentia , Regionumq; vel harum , vel illarum fertilitatibus , aut fecundis fructibus : ut experimenta commerciorum hujus Regni teftantur. Eademque rerum peregrè huc advectarum eft ratio : quarum omnium pretia , communi gentium inter fe negotiantium æftimatione , vel majora , vel minora fiunt , pro cujufq̃ue gentis indigentia , proventuumque ubertate. Impedimenta verò importationi rerum obftantia , in vectigalium ,
puta,

puta, exactionibus, non amovebuntur per hanc reductionem, sed cumulabuntur potius: eò quòd mercatores, necessarias res importaturi, vectigalia, reliquaquæ exactionum onera, in nova fortiore moneta dependere, hoc est, pro simplo duplum luerre cogentur. Denique prodigendi & absumendi cupiditatem in rebus ad usum vitæ necessariis, non minuet hæc pretiorum reductio, sed mirificè potius augebit, omnibus scilicet in hanc spem erectis, dimidio minoris se nunc res omnes quàm antea, comparaturos. Præterquàm quod huic prodigalitati, non pretiorum reductionem, sed leges potius sumptuarias, imò Magnatum, atque adeò ipsorum Principum exempla, mederi oporteat, Bodino teste *a.* *a d. tract. de augm. & decrem. aur. & arg. §. quarta & §. edita.* Postremò divites in Regno, qui auro & argento abundant, hac reductione pretiorum etiam confirmati, minus sibi quàm antea, legem imponi patientur, quin (ut Cicero ait) quanti quanti benè se emturos putent quod necesse est *b.*

Constat igitur ex his omnibus, pretiorum reductionem pestiferas reductionis monetæ qualitates haud corrigere, nec avertendis malis atque incommodis ex ea manantibus, par aliquod subsidium posse adferre; nedum ut damnum illud, quod hæctenus ex diminutione ponderis, passi sunt omnes, vel in minimo resarciat: proinde merum esse prætextum, quòd ad persuadendam monetæ reductionem, de reducendis pariter rerum pretiis, tam speciosè obtenditur. Quare meritò ac jure concludimus,

D

mus,

24.
mus, propositam aurei & Thaleri reductionem, cum
vim ac proprietatem salutaris remedii nullam in se
habeat, sed naturæ sit inimica, monetæ laboranti fu-
nesta, Reipublicæ calamitosa, jure tam divino quam
humano prohibita, ipsi denique experientiæ, rerum
magistræ contraria; idèd non esse idoneum monetæ
hujus Regni restituendæ modum, sed tanquam ve-
nenum Reipublicæ, rei que monetariæ pesti-
mum, meritò fugiendam.

Ἰπερ ἡδὲν δεῖται.

F I N I S.



Synopsis analytica explicatae hujus quaestionis.

In enodanda quest.
An per Reduct. corruptio rei monetalis in Reg. curari possit?

Duo praemittuntur;

Exinde investigatur Reductio- nis propo- sita, tanqua remedi- j as- ferti, quali- tas. ubi

1. Quae sit bona mone- ta, tanquam sani corporis natura, secundum

2. Quae sit corru- ptionis monetae Regni, tanquam morbi moneta- lis, causa, tum

1. Refertur con- silium suaden- tiu hanc Redu- ctionem, ex

2. Impro- batur hoc consilium, ex

Qualitatibus in- ter se contrariis,

Disparitate ratio- nis in pretio

Causarum ca- ritatis rerum pluritate; utpote exi- stentis

Partes ejus essen- tiales, quae duae sunt;

Partium qualita- tem, quae consi- deratur,

Externa, seu procata- etica; Campsorum fraudes.

Interna, seu proegumena; Moneta- riorum questus.

Utilitate ejus.

Incommodorum inde provenientium aver- sione, per reductionem pretiorum in rebus omnibus.

Bonorum remedium; & Reductionis proposita.

Pecunia, & Aliarum rerum.

Non ex sola al- teratione mo- netae, Abundantia aurt & ar- genti.

Sed etiam ex aliis causis, ut; Penuria rerum necessarium.

Pondus. & Valor.

In se. In moneta Regni.

2. *Notes on the life of the late*

2

1. <i>Notes on the life of the late</i>	2. <i>Notes on the life of the late</i>	3. <i>Notes on the life of the late</i>	4. <i>Notes on the life of the late</i>	5. <i>Notes on the life of the late</i>
6. <i>Notes on the life of the late</i>	7. <i>Notes on the life of the late</i>	8. <i>Notes on the life of the late</i>	9. <i>Notes on the life of the late</i>	10. <i>Notes on the life of the late</i>
11. <i>Notes on the life of the late</i>	12. <i>Notes on the life of the late</i>	13. <i>Notes on the life of the late</i>	14. <i>Notes on the life of the late</i>	15. <i>Notes on the life of the late</i>
16. <i>Notes on the life of the late</i>	17. <i>Notes on the life of the late</i>	18. <i>Notes on the life of the late</i>	19. <i>Notes on the life of the late</i>	20. <i>Notes on the life of the late</i>
21. <i>Notes on the life of the late</i>	22. <i>Notes on the life of the late</i>	23. <i>Notes on the life of the late</i>	24. <i>Notes on the life of the late</i>	25. <i>Notes on the life of the late</i>
26. <i>Notes on the life of the late</i>	27. <i>Notes on the life of the late</i>	28. <i>Notes on the life of the late</i>	29. <i>Notes on the life of the late</i>	30. <i>Notes on the life of the late</i>

Skanowanie i opracowanie graficzne na CD-ROM :



ul. Krzemowa 1

62-002 Suchy Las

www.digital-center.pl

biuro@digital-center.pl

tel./fax (0-61) 665 82 72

tel./fax (0-61) 665 82 82

Wszelkie prawa producenta i właściciela zastrzeżone.

Kopiowanie, wypożyczenie, oraz publiczne odtwarzanie w całości lub we fragmentach zabronione.

All rights reserved. Unauthorized copying, reproduction, lending, public performance and broadcasting of the whole or fragments prohibited.